

affirmant & nugantur, quæ pii & fideles homines sunt recepturi. Definiunt enim quanta lucis mensura nostra illa corpora solem ipsum superabunt, alia nimirum, vt illi volunt, 100. alia pluribus: alia paucioribus luminis gradibus, loco Pauli abutentes qui est 1. Corinth. 15. vers. 41. & Daniel. ca. 12. ita cum errore curiositas, animique vanitas semper est coniuncta. Ipsi verò Cataphryges, vt est apud Theodoret. conquerebantur, quòd multa falso de sese calumniosè spargerentur, quæ tamen non admitterent: sed in iis quæ recitavi, constans est omnium scriptorum narratio & sententia: nihil enim illis affingo.

4 *Fuisse asserunt.*) In impressis additum erat, Redditum: apud Isidorum autem est, Traditum, quod vtrunque aut saltem alterum eorum irreptitium est, & ex glossemate in textum ascitum. Si enim illud Redditum, apud Augustinum legeretur, ab Isidoro procul dubio retineretur. Denique longè melius fuit sententia, & elegantior est oratio, quam deturbata illa voce restitimus, etsi vetustiore codice vel manuscripto destituti.

CAP. XXVII.

Pepuziani & Quintilliani vnde dicti. Erroris autem capita tria referuntur.



Pepuziani à loco quodam nominati sunt, quam ciuitatem desertam dicit Epiphanius. Hanc autem isti diuinum aliquid esse arbitrantur, Hierusalem vocant: tantum dantes mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque apud